

DIE I. MARTII,

B. CHRISTOPHORI MEDIOLANEN. CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beatum Christophorum Confessorem dignum tibi famulum reddidisti ⁊ ejus meritis et imitatione concede ut Christum in nobis tota mentis intentione et cordis affectu portare valeamus : Qui tecum.

In j. Vesperis Memoria S. Albini Episc. et Confessoris.

Oratio.

**D**A, quæsumus omnipotens Deus : ut beati Albini Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas ⁊ et devotionem nobis augeat et salutem : Per.

DIE II. MARTII.

B. HENRICI SUSONIS CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beatum Henricum, Confessorem tuum, corporis mortificatione et caritate mirabilem effecisti : concede ut Christum crucifixum opere in nobis exprimere ⁊ et corde diligere valeamus : Qui tecum vivit.

DIE IV. MARTII.

S. CASIMIRI CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui, inter regales delicias et mundi illécebras, sanctum Casimirum virtute constantiæ roborasti : quæsumus ut ejus intercessione fideles tui terræna despiciant ⁊ et ad cælestia semper aspirent : Per.

DIE VI. MARTII.

B. JORDANI A PISIS CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beatum Jordánum, Confessorem tuum, evangelicæ prædicationis dignum ministrum effecisti : ex ejus nobis imitatione tribue operari quæ præcipis ⁊ ut æternæ mercèdis fructum consequi valeamus : Per.